



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Edmvdvs Mart. 20. Novembris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

Vifus potiùs quàm gemitus moriturã.  
Atque hæc fors cùm DASIVM formã  
omnis compendium nominasset, invi-  
tatus scilicet ad patria sacra palãm de-  
trectavit nõ mortem, sed causam mor-  
tis. Nam qui Saturno noluit, rectè  
Christo victima procubuit. Exhorresci-  
tis, scio, parentes infanda hæc sacra: At  
quid aliud paratis, quàm Orco victi-  
mam, cùm filios voluptatibus frangi-  
tis, vestium luxu corruptitis, & in pa-  
trix conspectu indulgenti amplexu  
perimitis, ipsissimi & heu! inter me-  
dios Christianos, Saturni? Quàm re-  
ctiùs, filios Christo, cùm hic parvulos  
ad se vocat, non negaretis! Ex *Menais*  
& *Menolog.*

## S. EDMUNDVS MART.

20. Novembris.

ALTER EDMUNDVS Rex est; altera  
Angliã gloria. Hic Anno DCCC.  
LXX. cùm Ingar Daniã Rex, vastitate  
Angliã ingenti illatã, misisset, qui re-  
gias gazas veluti sua: jam victoriã præ-  
mia, nĩ totas mallet amittere, dividere  
secum juberet, fortiter respondit. Nulla  
se latronibus stipendia numerare solitum:  
liberum se & regem meminisse, neq; aliter,  
cùm vires starent partiturũ divitias suas,  
quàm ferro fuisse. Nunc post lacerum regni  
corpus quid capiti parceret? plebeio san-  
guine huc usq; ebrium rectius regium hau-  
sturum.

*sturum. Tum denique se extincto totam hereditatem adiret. Inter spolia Numinis iram etiam, & vindictam reperturum.*

His in majores jam iras versus Iugar captum non regiis catenis oneravit; flagris deinde servilem in modum acceptum, scopum esse militum sagittis iussit; demum caput auferri, aliter à coelo jam coronandum. Porro hoc feris in pabulum inter dumeta abjectum præclarus jam denique custos lupus tutatus est, & cum caput suâ voce sequærentibus prodidisset, etiam funus mœsto ululatu profecutus scribitur. Tyranno in lupum abeunte, lupum in hominem rediisse dixisses. Sed & caput corpori suo redditum integrumq; à tabo longè post repertum ajunt; quin barbæ capitisque pilos succrescentes quotannis detonsos esse. Et dubitabimus porro virtutem etiam post mortem vivere? *Ex Surio.*

PRÆSENTATIO B. MARIE V.  
21. Novembris.

**H**Eus! ad spectaculum hodiernum, Homnes vos in orbe parentes voco, liberos omnes. Ne dubitate oculos adferre, cum, ut hos pascant, effundere se cælo & convolare Superos videam, videam arridere, acclamare audiam. Ecce TRIMVLA VIRGVNCVLA, Iudææ delictum, patris & matris amor, spes  
Sf 3 fami-